

Clarissime, et eruditissime Domine,

Accepi carmina, quae ad me mittere tibi placuit. Versus cultissimi sunt, et digni meliore materia. Ego enim nihil eorum in me agnosco, quae de me cecinisti. Quod vero per scripta mea tibi Deus ad gratiam suam, atque, ut spero, ad vitam sempiternam aperuerit ^{viam}, ex animo gaudeo, et ipsi Patri luminum gratias humillimas ago. Tibi vero ab eodem bono Domino nostro donum perseverantiae, et patientiae in tribulationibus cupio, neque deero precibus meis, quales quales illae sint, data optima, et dona perfecta a Domino virtutum assidue petere.

Vale. Datum Romae 14. Kalend. Augusti MDCXIV.

Arch. Vatic. Gesuit. 18 fol. 130. Minute autogr. Epist. fam. 133, (date 1616)

Illmo ac Rmo Dno Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali
Amplissmo P/rone suo colmo.

Si mihi si qua foret culti sapientia vatis,
Et veluti quondam modo dignaretur amico
Euterpe aspectu, quo splendida gesta liceret
Aeternare virum magnorum, et pingere chartis:
Non mihi materies scribendi carminis esset
Filius Anchisae, virtute insignis et armis
Nec canerem si quos odio Junonis iniquae
Sustinuit duros terraque marique labores
Non Laertiaden vario stratagemate clarum
Exprimerem; nec quae constanti pectore quondam
Multa decennalis devicit praelia pugnae,
Dum cupit excelsae subvertere moenia Troiae,
Aggrederer certis aliquot conscribere metris
Non etiam Alciden memorarem, aut Thesca, nec quos
Longa Poëtarum depingit fabula: sed te
Te solum ante alios praestantem insignibus actis,
Maxime vir, cunctis virtutum dotibus aucte
Quem merito sincera Fides, et simplice recto
Gaudens Religio multum veneratur, et unum
Suspicit, aeterno donarem laudis honore:
Et quae pollenti sancto pro nomine Christi

/ Haereticos contra (totus fremat orbis, et orcus)
Robore susceptos bella, arma, minasque referrem,
O Roborte sacris Bellarmine ~~édite~~ Divis.

1451^a

Sed tua iamdudum totum vulgata per orbem

5 Fama volat, summos ferientis vertice coelos,
Nec potis est unquam maiores sumere vires
Laus, quae se nullis patitur concludere metis.
Sicut enim Phoebus reliquas splendore nitenti
Exsuperat stellas, rutilanti et lumine vincit,

10 Quando caput croceum tremulis mane exerit undis
Et radiis loca quaeque suis abscondita lustrat;
Sic etiam Heroas vincis virtute vel omnes
Et longo post te spatio quoscunque relinquis,
Cum te vaticidis iuvat ora resolvere dictis,

15 Praeclaris populos scriptisque docere remotos.
Ut si quis cupiat meritas percurrere laudes
Forte tuas, narret potius quot tempore verno
Terra ferat gremio flores, quot copia larga
Fertilis autumnus det poma, quot aequore pisces

20 Discurrant magno, quot volvat littus arenas.

Nec tamen idcirco nostris inductus abibis
Carminibus (quoniam per te mihi reddita vita est
Qua possum felix aeternum vivere) nec te
Immemor accepti Musa unquam nostra silebit,

25 Quantumvis variis fortunae percita telis.
Quin tibi perpetuas non ficta mente profectas
Persolvat gratias, etiam post fata superstes;
Grates quas nullum poterit subvertere tempus,
Non aquilo, non imber edax, non ulla vetustas

30 Omnia consumens alias quaecunque capaci
Complexu facies mundi revolubilis ambit
Si modo quod coeptum est decurret tramite fausto.

Interea tua te Pietas sacrata labantem
Quae fulcit mundum, contra furiosa malorum

35 Agmina defendat, seros et servet in annos
Invidiae expositum telis conamine vano,
Donec venturi cumulatus laudibus aevi
Aethereis tandem potiaris nectare mensis,
Coelicolas inter Divum aspectuque fruaris.

40 Quod precor ex animo votisque ardentibus opto.

Fridericus Pauli Restochiensis Megapolitanus.